



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Disputatio Quinta. De Ieiunio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

possessionem beneficii, videtur dare rem spirituales pro illo pretio. Respondet tamen, mihi videri, quod possit hoc facere absque simonia, quia cum non sit certum, quod beneficium sit suum, sed propter probabilitatem, quam habet, quod sit suum, vellet in litigando expensas facere; nullo modo apparet simonia, ut vitet illas expensas, aliquid recipere, quia neque quod accipit, est spirituale, neque illud, pro quo accipit, hoc est expensæ, quas faceret in litigio. Itaque, si qui dat, non emit jus alterius, neque possessionem, sed solum det alteri ratione expensarum, quas faceret, ut probaret, jus alterius non esse bonum, non apparet ulla simonia ex parte ipsius. Similiter si recipiens, neque dat jus suum, neque possessionem positivè, sed negat vè tantum promittendo, ut alter accipiat illam, sed solum recipiat aliquid, nefaciatur expensas, defendendo possessionem suam, non committit ullam simoniam. Hactenus Pontius. Quæ si probabilia, non parum ad praxim deservirent. Sed revera, videtur hic contractus simoniam palliare, cum jus litigiosum, mediante pecunia certum fiat, & tam per illam, quam per contractum ex iustitia obligantem, via patet ad beneficium, quod omnes Theologi, ut simoniam reprobant, cum D. Thomas 2. 2. quæst. 100. artic. 2. ad 5. ubi sic scribit: *Antequam alicui adquiratur jus in præbenda per electionem, vel provisionem, seu collationem, simonia cum esset adversantium obstacula pecunia redimere. Sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spirituales obtinendam. Sed postquam jus alicui adquisitum est, licet per pecuniam injusta impedimenta removeret. * Sic D. Thomas, & omnes; ergo iusta impedimenta ex dubio jure pullulantia per pecuniam removeri non possunt, esset enim *adversantium obstacula pecunia redimere.*

DISPUTATIO QUINTA.

De Ieiunio.

QVÆSTIO I.

An qui labore, si ve ex bono, si ve malo sine suscepto, ut ad aliquem occidendum, vel insequendam concubinam, defatigatur, excusetur à præcepto jejunii?

S. I.

Communis Doctorum sententia explicatur, & defenditur.

Dupliciter hoc evenire potest, vel prævidendo defatigationem, ex labore suscipiendo, fore impossibilem cum jejuniis, vel absque ulla prævisione. Si secundò: omnes fatentur, nullum intervenire peccatum contra præceptum jejunii, quia, semel posita causa, defatigatus verè est

impotens moraliter jejunare, & in eius appositione, cum non præviderit periculum non jejunandi, nullum contra præceptum jejunii peccatum committit, sed tantummodo contra alia Decalogi præcepta, nimirum contra quintum, vel sextum, juxta intentionem operantis. Hæc conclusio est communis, pro qua unum pro omnibus dabo Magistrum Petrum de Ledsina in Summ. p. 2. tract. 27. cap. 2. ibi: *Digo lo primero, que es cosa cierta, y averiguada, que si no se avierte, que se pone impedimento para el cumplimiento del precepto del ayuno, ò no se debió advertir, (nimirum, quia nulla dubitandi ratio occurrat) que no se pecca mortalmente, quando se pone el tal impedimento. El exemplo es: Si uno por su recreacion se puso à jugar à la pelota, y no advirtió, ni pudo advertir, que avia de quebrantar el precepto del ayuno, ni sentirse fatigado, ni cansado, desuerte, que no pudiese ayunar. Las razones, porque en tal caso el que quebranta el precepto no fue voluntario en si, ni en su causa, como es cosa notoria. * Sic ille, & omnes.

2. Si verò primo modo res eveniat, nimirum prævidendo laborem suscipiendum fore incompatibilem cum jejuniis: dubium duplex examinandum occurrit. Primum. An posita defatigatione moraliter incompatibili cum jejuniis, teneatur adhuc sic defatigatus jejunare? an potius à præcepto adimplendo maneat excusatus? Secundum: an in causa pecaverit assumendo laborem illum cum prævisione eventus? Primam dubitationem proponit Fillucius tom. 2. tract. 27. p. 2. cap. 7. num. 123. ad utramque autem respondet, his verbis. *An qui malo sine laboraret, ut ad aliquem occidendum, vel ad insequendam amicum, vel quid simile, teneretur ad jejunium? Respondeo talem peccaturum ex malo fine, at secuta defatigatione, excusatur à jejuniis: nisi fieret in fraudem jejunii, secundum aliquos; sed melius alii culpam quidem esse in apponenda causa fractionis jejunii, at ea posita excusari à jejuniis. * Hæc ille, in quibus aperte admittit, dari peccatum contra præceptum jejunii, quando in eius fraudem, aut ex prævisione eventus labor assumitur, quod fatetur consistere in apponenda tali causa, negat vero, ea posita, etiam si in fraudem, esse postea obligationem, jejunandi. Cuius sententia verissima est & evidenti ratione probatur; tum quia impotens moraliter jejunare, non tenetur præcepto: tum quia, posita causa impediens, seu moraliter impossibile reddens jejunium, ipsa jejunii omisso conjungi potest cum vero dolore, & contritione, & cum amore Dei super omnia. Quis enim dubitare potest, eum, qui malitiosè impedimentum apposuit jejuniis, (quod auferre modo non potest, quia ad præteritum non datur potentia,) posse nunc verè dolere de peccato in causa commisso, & simul proponere ex amore Dei super omnia in posterum non peccare, & peccatum commissum confiteri, licet simul habeat intentionem eo die non jejunandi, eo quod rectè novit, sic defatigatum ad jejunium non teneri?

3. Ideò hæc sententia communis est inter Doctores, ut videre est apud Dianam p. 10. tract. 14. resolut. 11. §. Quare malè, & apud Leandrum in 5. præcepta Ecclesiæ, tract. 5. disputat. 8. quæst. 157. & 158. & illam cum Magistro Paludano defendit Sylvester verb. Ieiunium 24. dicens: *Et addit Petrus de Palude, quod si peregrinatio (nimirum impossibilis cum jejuniis) non est necessaria, peccat illam aggreddiens indiscretè, id est, eo tempore, quo jejunandum est; ea tamen aggressus, licet impossibile jeju-

jejunium frangere. Sic ille, & omnes, ut ait Pasqualis *de iei.* 320. Non peccat, inquit, quando non jejunat, quia tunc cum sit impotens ratione lassitudinis, non obligatur præcepto jejunandi, ut communiter omnes concedunt.

4. Quapropter Bernardus Stubrokius Theologus Viennensis in *Notis*, nota 2. in *dissertationem Theologorum de Probabilitate*, fol. 91. in quemdam Jansenii sequacem, qui Fillucium ob præfatum assertum fecidissime denigrare non erubuit, sic invehitur: Fillucium tanquam blasphemum, & hæreticum traducis, eo quod dixerit, eum ad jejunium non teneri, qui vel labore ob malum finem suscepto, vel alia sua culpa, talem infirmitatem, dispositionem, vitium debilitationem contraxerit, ut sine gravissimo incommodo, & periculo jejunare non possit. Quamvis expressè dixerit, eum peccare, si laboret in fraudem jejunii ob oppositam causam solvendi jejunii; sed si re vera, ut dixi, moraliter jejunare non potest, ad jejunium non teneatur. Quid in hac doctrina tam nefandum, & horrendum sit, quod tam acres declamationes possulet, non video, &c. Sed tuas artes agnosco: teneri nempe vis etiam eum, qui præceptum implere non potest. Impotentia illa, quæ culpâ nostrâ contrahitur, à culpa nunquam liberat, &c. Agnosceis, ni fallor, nativum Jansenii vultum. Nil æffingo. Et infra: Vis hominem penitus exhaustum, & semivivum jejunii lege teneri? Ah charitatem Pharisæam!

5. Secunda verò pars sententiæ Fillucii, scilicet, quod in casu delinquit contra præceptum jejunii, qui peregrinationem non necessariam, aut voluntarium laborem assumit, verbi gratia, ludum pilæ, eo die, quo jejunare tenetur, prævidens, impedimentum fore jejunio, communior est inter Theologos, eam tenet Diana *part. 10. tractat. 14. resol. 11. ubi supra* viginti Doctores refert: Qui omnes, inquit, asserunt, eum, qui in die jejunii, absque ulla honesta causa, sed merè voluntariè, & sua culpa ob laborem susceptum agendo iter, vel ludendo pilam, vel venando, vel in sequendo amicam, ita defatigatus est, ut jejunium servare nequeat, & prævidit, quod ex tali labore omnino voluntariè, vel ad malum finem suscepto, securum erat impotentia ad jejunandum, peccare contra præceptum jejunii (si non eo tempore, quod supposita jam impotentia, & necessitate frangit jejunium, quo tamen tempore multi tenent, eum peccare, ob malam voluntatem præcedentem) saltem, quando dat antecedenter injustam causam impotentiae, seu necessitatis fractionis jejunii. Sic ille. Ubi inter alios Auctores, pro hac parte refert Fillucium loco à nobis supra citato, & ita sentit D. Thom. 2. 2. *quest. 147. artic. 4. in respons. ad tertium*, & ibi Cajetanus, & ferè omnes Thomistæ.

§. II.

Quid alii senserint?

6. Contrariam nihilominus sententiam tenet expressè M. Petrus de Ledesma 2. p. *Sum. tract. 27. cap. 3.* ubi sibi scribit. La quinta dificultad es del que pone impedimento, con el qual no pue de cumplir con el precepto del ayuno, si el tal peca mortalmente, poniendo el tal impedimento. El exemplo es en uno, que de su voluntad juega à la

pelota, de tal suerte, que queda despues tan fatigado, que en ninguna manera puede ayunar. La dificultad es, si en tal caso pecó contra el precepto del ayuno, quando se impossibilita, y se peca por jugar, advirtiendo alto: En esta dificultad, como los Doctores, ay diversas sentencias, y pareceres. Lo primero es, que en tal caso pecó mortalmente, quando puso el tal impedimento, advirtiendo, que le era de seguir el quebrantamiento del ayuno, &c. La segunda sentencia es contraria à esta, que en tal caso puesto no peca, poniendo impedimento al ayuno. Esto ensenna Medina en su *Suma*, fol. 99. y pone un exemplo en los caminantes de à pie, aunque no es el camino por su passatiempo; y dize, que esto no es verdad, aunque el camino se hiziesse por ver à la amiga, si despues quedan cansados, y fatigados. El tal pecará contra otro precepto de no fornicar, pero no pecará contra el precepto de ayunar, &c. Digo, que de ordinario, aunque la primera sentencia tiene probabilidad, mas probable me parece la segunda. Pruebase con la autoridad de los Doctores, que la tienen, y con la razon que se haze en su favor, que no mas es probabilidad. Confirmasse, porque el no jugar à la pelota, no es medio de si ordenado para el cumplimiento del ayuno; luego no es à uno obligado à dexar de jugar à la pelota en orden al cumplimiento del precepto del ayuno. Sic M. Ledesma, cum M. Bart. de Medina.

7. Cum his sentiunt alii Doctores Bonacina *tom. 2. disp. 2. quest. 8. punct. 2. n. 16. ibi*: Venator non peccat contra jejunii præceptum, dando se venationem licet ob laborem ex venatione consequentem peccare nequeat. Idem sentit Roca *in imprati Theologia Morali* tom. 2. lib. 3. de *Præceptis Ecclesiæ*, cap. 9. *num. 154.* Et ratio, inquit, est, quia ille sustinet istum laborem suscipiendum, vel ad iter agendum, ad ludendum, ad venandum, quo non privatur ob jejunium servandum. Cui consonat Joannes Hensquez in *Sum. sect. 16. quest. 29. vers. 1. audire Diana*. Et putat probabile Martinus de S. Joseph in *Moral. Confessor. tom. 1. libr. 2. tract. 12. de Jejunio*, num. 5. Et tunc Bossius in *Disceptat. Moral. disceptat. 4.* quando de honestam recreationem dat operam ludo, vel venationi.

8. Pro eadem sententia militat Leander à Sotomento *tom. 3. in 5. præcepta Ecclesiæ*, tract. 5. *disp. 8. quest. 156.* ubi inquit: An defatigatus ex labore estimo pro ob querendam concubinam, vel ob alium malum finem, sit exemptus à jejunio, casu quo prævidit impotentiam futuram ad jejunandum? Respondet. Negant esse exemptum à jejunio, idè quod præfatum peccasse in causa contra præceptum jejunii, quod prævidendo, quod talis labor foret causa à jejunando, dedit causam. Ortiz, Homobonus, Joannes de la Cruz, Rodriguez, Sanchez, Trullench, Sotomento, probabiliter respondeo, esse exemptum, nec peccare adhuc in causa contra præceptum jejunii. Sic Medina. Petrus de Ledesma, Diana 1. p. *tract. 9. disp. 40. quest. 52.* Fillucius *tract. 27. punct. 2. n. 133.* Llamas 3. p. *cap. 52.* Villalobos in *Sum. tract. 23. diff. 4. n. 11.* Joannes Sanchez in *Selestin. disp. 54. n. 20.* Sic Leander, & sic etiam Diana *resol. 40. citata*, ubi pro ea refert etiam Fillucium, dicens: Hanc sententiam docet absolute Fillucius Medina.

dinam sequens. * Sed uterque malè Filliucium refert, quia expressè contrarium docet ubi *suprà*, ut ex ejus verbis fideliter excerptis constat. Nam licet semel posita causâ, dicat non teneri jejunare: culpam tamen contrâ jejunii præceptum, in causâ positione fatetur intervenisse. * Sed melius alii, inquit, culpam quidem esse in apponenda causâ fractionis jejunii, at eâ posita excusari à jejunio. * Et idem ipse Diana p. 10. tractat. 14. resol. 11. pro contraria sententia Filliucium meritò refert, & ei cum Azorio, & aliis assentitur (retractans, quod i. p. tract. 9. resol. 40. scripserat) dicens: * Sed in editionibus novissimis ego putavi, non esse recedendum à sententia Azorii, & prorsus ei adhaerendum existimo. *

9. Neque Llamas à Leandro adductus ejus sententiam tenet, sed quam communiter Doctores, & quam Filliucius *suprà*, nimirum. * Quod postquam quis debilitatus est, & factus impotens ad jejunandum, est impotentia nascatur ex culpa propria, &c. ad jejunium non tenetur, sed sine peccato potest cenare de novo. * Sic ex Llamas refert ipse Leander: hoc autem non est negare peccasse in causâ contra præceptum jejunii, qui prævidendo impotentiam subsequendam, ejus causam eodem die apposuit: quod modo disputatur.

10. Neque Villalobos pro contraria parte jure refertur, qui a expressè illi contradicit, loco à Leandro citato, nempe eom. 1. tract. 22. diff. 4. num. 11. Sic enim scribit: * Hæc de advertit, que el que tensa ya experiencia, que jugando a la pelora, o ocupandose en otro exercicio semejante, no puede ayunar, tiene obligacion a dexarle, como latiene dexar el camino, el que camina sin necesidad. *

11. Imò neque Joannes Sanchez potest pro illa referri, quia disp. 54. num. 20. à Diana, & Leandro citata, expressè loquitur de labore suscepto non in ipso die jejunii, sed in die antecedenti, ex quo prævidetur ratione debilitatis, & lassitudinis, futuram impotentiam jejunandi pro die sequenti, quo præceptum urgebit. En ejus verba. * Liberos etiam à jejunio existimo, qui culpa sua ita defatigati redduntur, quod jejunare non valeant, ut qui defatigatus esset ludo pilæ, aut nimis esset deditus seminarum commissioni; (attende) nam tales, die, quo præceptum obligat, impotentes sunt jejunare, die verò, quo ludunt, nondum advenit. * Sic ille: juxta quæ explicandus num. 14. ubi non ita clarè tempora distinguit.

12. Verùm pro sententia Petri de Ledesma, & Bart. de Medina, stat apertè Pasqualigus decis. 320. num. 6. quia non solum asserit, eum, qui ex prævisione impotentiae futuræ ad jejunium, assumit media laboriosa illicita, non peccare contra præceptum jejunii, sed neque illum, qui ex intentione non jejunandi assumit. * Et ita etiam (inquit Leander *suprà* quæst. 157.) tenet Rocaful. in praxi tom. 2. lib. 3. cap. 9. ubi citat pro hac parte Dianam, & benè. * Quorum sententiam putat ipse probabilem. Quæ quidem à fortiori tenenda, si media laboriosa licita fuerint, & ita tenet ipse Pasqualigus ubi *suprà* num. 3. & sequenti, quem refert Leander quæst. 158. subnectens. * Citat etiam Pasqualigus pro sua sententia Joannem Santium in selectis, disp. 54. num. 14. & 20. Dianam 1. p. tract. 9. resol. 52. & Gulinum in Sum. verb. Jejunium, num. 21. &c. Sed ex his Doctoribus, quos expressè pro se citat Pasqualigus, Diana oppositum sequitur. * Sic Leander, sed non benè; nam si Diana be-

nè citatur à Pasqualigo (ut fatetur ipse Leander) pro mediis illicitis ex intentione non jejunandi assumptis; non dissentiet, quandò licita fuerint. Quia verisimile non est, Dianam sentire, non esse peccatum, contra jejunii præceptum, assumere media illicita incompatibilia cum jejunio, ex intentione non jejunandi; & peccatum contra jejunii præceptum esse, si media licita fuerint. Ergo aut Diana in utroque eventu affirmat, vel in utroque negat. Et sanè p. 17. 9. ref. 52. expressè loquitur de mediis licitis: & probat. * Quia jus, inquit, habet iste ad illi laborem suscipiendum, v. g. ad iter agendum, ad ludendum pilæ, ad venandum, &c. quo non privatur ob jejunium servandum. Et hæc opinio procedit etiam, si in fraudem jejunii id ageret, nullius negotii causa itinerando, sed solo animo non servandi jejunium. Et ita docet Santius in selectis, disp. 54. num. 14. Hæc Diana.

13. Ceterùm hic author pro utraque parte satis confusè loquitur, quia non exprimit, an de assumptis mediis, eo ipso die, quo adest præceptum jejunii, an de die antecedenti, ejus opinio procedat; & in hoc solo casu videtur cum Joanne Sanchez, ubi *suprà* consentire, ut colligitur ex fine præfatæ resol. 25. ubi concludit his verbis: * Dicendum est igitur, quod non tenetur jejunio, qui labore aliquo defatigatur, etiam si id agat in fraudem jejunii, (attende) quia dum defatigatio acquiritur, non adest jejunii præceptum, dum verò jam acquisita, impossibilitas adest ad jejunandum. * Ergo expressè loquitur de labore assumpto die antecedenti præceptum, sicut & Joannes Sanchez, quem citatum sequitur. Juxta quæ videtur intelligendus, dum initio resolutionis inquit, eum, qui dat operâ, ut non jejunet, labore aliquo, quem commodè differre posset, defatigatur, excusari à jejunio, (nimirum etiam in causâ.) * Quia jus habet ad illum laborem suscipiendum: v. gr. ad ludendum pilæ, ad venandum, quo non privatur ob jejunium servandum, &c.

S. III.

Sententia Petri de Ledesma, & aliorum
rejicitur.

14. Onatus sum explicare Doctores confusè loquutos in hac parte, & eorum minuere numerum, qui pro illa referri solent. Quia vellem sanè præfatam opinionem ab scholis relegare, & tamquam indubitatam contrariam, & communem stabilire. Nam, omisâ autoritate, si ad prima rationis principia deveniamus: quid firmitus, quàm præceptum obligare ad media, quæ ad ejus implerionem sunt necessaria, & prohibere impedimenta cum adimplerione incompatibilia? Quid notius eum, qui tenetur ad finem, teneri ad illud, sine quo, obtineri non potest? Hinc præceptum restituendi te obligat ad quærendam pecuniam, si illa careas, & personam, quâ mediante restituas, si per te absque dedecoris periculo non possis. Hinc præceptum audiendi sacrum in die festo obligat abstinere à ludendo, tempore, quo unicum celebrandum est: & ad non longe ab Ecclesia recedendum, ita ut hora celebrandi adesse nequeas; & ad non te inebriandum,

QVÆSTIO II.

*Aliqua dubiola circa præceptum
ieiunii.*

(in quo licet celebraretur, non teneretur assiste-
re) non est cur teneatur alibi prævenire sacrum.

20. Ex his autem nil pro adversariorum opinione inferri potest. (ut male illorum aliqui intulerunt cum Joanne Sanchez *supra* num. 14.) Quia ubi, & quando præceptum non obligat, non est prohibitum apponere impedimenta incompatibilia cum opere præcepto, sicut nec intendere rem alibi præceptam omittere, ubi, & quando præcepta non est; & idem qui locum, vel tempus, in quibus non est prohibitio, ex industria querit, dicitur fugere obligationem. Intendere autem rem non efficere, ubi, & quando præcepta est, seu incompatibilia cum ejus executione adhibere, non est obligationem fugere, sed violare. Unde fit, eum, qui in die jejunii intendit non jejunare, seu omnino voluntariè incompatibilia cum jejunio ponit, non posse à peccato contra jejunii præceptum liberari, quia nec locum, nec tempus obligationis fugit, sed non observat.

21. Ex dictis fit primò. Peregrinationem, seu iter pedestre, vel equestre, quæ in alium diem commodè differri possunt, debere omitti in die jejunii, si cum jejunio comparari non possint. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 4. *ad tertium*. * Si peregrinatio, inquit, & operis labor commodè differri possit, aut diminui absque detrimento corporalis salutis, & exterioris status qui requiritur ad conservatioem corporalis, vel spiritualis vite, non sunt propter hoc Ecclesiæ jejunia præmittenda. * Quem sequuntur Sylvester *verb. Jejunium quæst.* 9. M. Paludanus in 4. *dist.* 15. *quæst.* 4. nu. 19. & plures alii contra M. Barr. de Medina lib. 1. *Sum. cap.* 14. §. 10. Joannem Santium in *select. disp.* 51. num. 21. Leandrum à Sacramento tom. 3. in *quinque præcept. Eccles.* tract. 5. *disp.* 8. *quæst.* 98. & alios apud ipsos.

22. Fit secundò. Adhibere ex justa causa media incompatibilia cum jejunio, etiam ex praviisione incompatibilitatis, non esse contra præceptum; quia hæc prohibere non intendit Ecclesia, juxta communem Theologorum interpretationem, & fidelium praxim. Justa autem causa reputatur, quando ad propriam, vel alienam utilitatem corporalem, vel spiritualem labor assumptus conducit. Hinc omnes artes valde laboriosæ, etiam artifices ad sui sustentationem, in diebus jejunii, laborare non indigeant, & omnes peregrinationes ad sanctuaria permittuntur. Hinc etiam se flagellantes in die jejunii excusantur, etsi ob debilitatem jejunare non possent, experientia noverint, ut tradunt Filliucius, & Joannes Santius ubi *supra*. Hinc denique quæcumque opera præstantiora, quam jejunium licet efficere in die jejunii, quamvis incompatibilia cum illo prævideantur: quia non intendit Ecclesia hæc impedire, sed tantum præcipit jejunium illis, qui præfatis operibus ex causa elicitis, possunt jejunare. Et in his tantum locum habet doctrina illa generalis, quam Ledesma, Medina, Leander, & alii *supra* citati pro quocumque operum genere conati sunt stabilire, licet frustra, ut constat ex dictis.

1. **N**on leve inter Doctores dissidium est, ex quoniam capite, gravis obligatio jejunii Ecclesiastici proveniat? Eminentissimus Cajetanus constanter asserit, non provenire ex iure scripto. Ita in *Sum. verb. Jejunium*. Ubi inquires, quale sit vinculum, quo tenemur ad Ecclesiæ jejunia? Sic respondet: * Ex communi interpretatione videtur vinculum præcepti obligantis ad mortale transgressores ex inobedientia; vel contemptu, &c. Et hoc ego non audeo ex iure scripto asserere, quia nullibi scio scriptum esse præceptum obligans ad mortale non jejunantem: quamvis inveniat præceptum, hoc est, statutum obligans. Hoc est, invenitur præceptum; ut distinguitur contra consilium, & non præceptum antonomastice: quod solum obligat ad mortale, ut *verb. Præceptum* habes infra. Et propterea quantum est ex iure scripto, nullum cognosco intervenire mortale peccatum, in fractione jejunii Ecclesiæ, si desit contemptus. * Hæc Cajetanus in *Summa*. Quæ etiam tradit 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 3. §. *Ad hujus evidentiam in fine*. Ubi post accuratam rei discussionem concludit. * Hæc dixerim, quia ex vi verborum, nullibi jejunium Ecclesiasticum invenitur præceptum, loquendo de præcepto stricto. *

2. Idem omnino, quod Cajetanus docuit de obligatione jejunii, sentiunt alii de obligatione abstinendi ab ovis, & lacticiis in jejniis Quadragesimæ, nimirum non ex iure scripto, sed ex sola consuetudine ortum habuisse. Cujus efficax argumentum desumitur ex Cajetano. Quia textus unicus, qui de abstinentia ab his cibis in iure Canonico reperitur, *cap. denique, dist.* 4. non magis urget, quam alii textus, quibus ad præceptum jejunii Ecclesiæ ex iure probandum, utuntur Doctores, nempe *cap. non licet, cap. non oportet, de consec. dist.* 3. *cap. Quadragesima, de consec. dist.* 5. Sed in his non continetur præceptum obligans ad mortale, non jejunantem, juxta Cajetanum. Ergo neque in illo continetur præceptum obligans, ad mortale, non abstinentem ab ovis, & lacticiis in jejniis Quadragesimæ. Consequentio videtur evidens.

3. Et talem censuit Vincentius Baronius in opere contra Amadæum *disp.* 1. *sect.* fol. 128. Idemque ut illam vitaret, aliud non inveniens effugium, ad consuetum asylum confugit, negans intrepidè apud Cajetanum reperiri verba, quæ circa obligationem jejunii, fideliter excerpta *supra* dedi. * Nullum, inquit, & periculosum est, quod asserti ad hanc immunitatem adstruendam Amadæus; ovorum, & lacticio-rum usum (scilicet quatenus est ex iure in capite *denique*) carere lethali peccato, si eo vacet, (nempe quatenus ex iure scripto) ipsiusmet Quadragesimalis jejunii violatio. Ita est. Sed undè probas jejunium (quatenus est ex iure) solvi citrà lethale peccatum? Cajetani, inquit, verbis. Quæ nulla prorsus apud illum extant. Vide hominis odium in jejunium. Advocat testimonium Cajetani, quod desideratur, & numquam extitit, vel saltem Ecclesiæ mandato sublatum est. * Sic argumenti vim fugere tentavit Baronius. Foran credebatur in nullius viri docti manus ejus scripta perventura, aliter enim hæc scriptulæ non posset. Verba ex Cajetano ubi *supra*, fideliter

Joannes Henriquez, Machado, Martinus de San Joseph. Et saltem non esse improbabile, dicunt Villalob. & Trullench, quos refert Diana p. 10. tr. 11. resol. 46. Quibus adde Palacios, Ludovicum à Cruce, Pasqualigo, & alios, quos citatos sequitur Tamburinus in 5. præcept. lib. 4. cap. 5. num. 27. Quorum ratio, quia secundum jus commune, ex quo obligatio abstinendi ab his cibis promanât, dies Dominici non appellantur dies Quadragesimales, utpote qui numerum quadraginta dierum non complent.

8. Verum secunda sententia extremè opposita negat ovorum, & lacteiciorum esum in Dominicis Quadragesimæ. Quæ ut probabilior mihi tenenda videtur, ratione consuetudinis, quæ sic interpretata est textum juris, & ubique observatur; quæ eandem vim in diebus Dominicis, ac in jejuniis Quadragesimæ obinet. Secundò probatur, quia Dominicis diebus, licet Quadragesimum numerum non complementibus, obligat præceptum abstinendi à carnibus, ergò & ab ovis & lacteicis, quia ut supra diximus ex glossa, Pontifex consultus respondit: his diebus, quibus à carnibus in Quadragesima abstinemus, ab ovis etiam, & lacteicis, ex vi ejusdem præcepti abstinendum: verè enim in communi loquendi modo dicuntur Dominice Quadragesimæ, etsi numerum quadraginta dierum non complent; quo etiam sensu dies Quadragesimæ vocantur. Idèò hanc sententiam tueretur, Pasqualigus in secunda editione retractans, quod dixerat in prima decis. 72. P. Bardi in Bull. part. 2. tract. 3. cap. 2. sect. 6. plures referens. Item P. Henric. Vega, Villalobos, Sanchez, Santius, Rodriguez, Nugnus, Ludovicus à Cruce, Trullench, Moure, Corduba, Fernandez, Narbona, & alii, quos sequitur Diana par. 3. tract. 6. Mis. ref. 80. & par. 9. tr. 3. ref. 68. Quibus adde Lezan. tom. 5. verb. Ieiunium, num. 3. & Castro Palao tom. 4. tract. 25. punct. 7. nu. 8. & pro hac opinione stare declarationem Eminentiss. Cardinalium testatur Diana p. 10. tract. 11. resol. 46. Quamvis Tamburinus, ubi supra, de illa non constare authenticè, respondeat.

§. UNICUS.

Corollaria.

9. **E**X hac conclusione inferunt non pauci, privilegium Bullæ Cruciatæ edendi ova, & lacteicia, illis tantum suffragari, pro diebus Dominicis Quadragesimæ, quibus pro diebus jejuniis prodest. Atque adèò Regulares, & alios in Bulla Cruciatæ pro Quadragesima exceptos, nequiquam posse ejus virtute in diebus Dominicis, uti lacteicis. Sic P. Henriquez lib. 7. cap. 13. n. 10. & cum Ludovico Lopez tenet Vega in Sum. tom. 1. cap. 14. casu 29. Ceterum quoad Regulares aliter sentiendum est, quia hi solum excluduntur in Bulla Latina à privilegio edendi lacteicia in jejuniis Quadragesimalibus. Dies autem Dominici non sunt dies jejuniis Quadragesimalis, licet dies sint Quadragesimæ, ut supra notavimus: non ergò limitatio privilegii ad dies expressè non exceptos extendenda est: nec frustra ly in jejuniis superadditum credendum est. Idèò ita sentiunt P. Bardi ubi supra sect. 6. num. 61. & seq. M. Nugnus tom. 2. in 3. p. tract. de Bulla Cruciatæ, §. 8. dub. 5. Corduba, Trullench. Barnabas

Gallego, Castro Palao, Escobar, & alii, apud P. Mendo in statera opin. mor. diss. 14. q. 5. Quos sequitur Joannes Martinez de Prado tom. 1. theol. Mor. cap. 6. q. 8. §. 2. n. 7. & Diana p. 1. tr. 11. de Bulla, ref. 5. & p. 9. tr. 8. ref. 66. Qui aliter non constare authenticè de quadam Pontificis declaratione in contrarium, quam allegat Rodriguez. Undè ait Prado. * Concludamus hanc sententiam esse probabiliorè, quousque illa declaratio Pontificis relata in contrarium juridicè constet, & publicetur. * Ergò Religiosi virtute Cruciatæ poterunt in Dominicis Quadragesimæ, ovis, & lacteicis licetè uti. Secus absque Bulla, aut alio privilegio propter superius dicta.

10. Notare hic non præteream amplissimum concessum fuisse privilegium Religiosis Ordinis Militaris Jacobi de Vcles, & S. Marci Legionensis, ut tam ipsi, quam eorum familiares, & servitores possint comedere in Quadragesima, & aliis diebus anni, de jure, consuetudine, aut aliis quomodolibet prohibitis, butyrum, ova, & alia lacteicia. * Sic refert M. Joannes dela Cruz de statu Religioso, lib. 1. c. 6. dub. 22. concl. 2. à Leone X. concessum anno 1514. subnectens. * Quo communicant aliæ Religiones, juxta dicenda lib. 2. cap. 4. & servatur Bulla in Conventu de Vcles. * Cui à fortiori contentient Rodriguez in 99. Regul. tom. 1. q. 55. art. 18. & Miranda tom. 2. Man. Pralat. q. 46. art. 7. quia putant Regulares posse gaudere, & frui omnibus gratis, privilegiis, & indultis, etiam particulari loco, vel domui concessis. Et in terminis sententiam Joannis de la Cruz se non audere improbare, ait doct. F. Ludov. à Concep. 2.2. tom. 2. exam. lit. l. verb. Lacteicia, n. 8.

11. Verum hæc sententia nullatenus sustinenda est. Quia ut expressè deciditur cap. in Capella de privilegiis concessum uni Ecclesiæ, Provincia, vel loco, nequit trahi ad aliam Ecclesiam, Provinciam, vel locum. Secundò, quia communicatio privilegiorum non habet locum in exorbitantibus, & in his quæ raro, & cum difficultate conceduntur, prout Rota Romana sæpius declaravit decis. 14. 2 p. Recent. & decis. 55. n. 14. & 15. 1. p. decis. Et in una Valentina decimarum 28. Novemb. 1603. coram Cardin. Lancelot. Et in una Toletana 6. Nov. anno 1605. & idèò ita censent Butr. conf. 19. n. 9. Navarrus 10. 2. tit. de privileg. conf. 13. n. 4. & aliis citatis Dianap. 11. tr. 3. ref. 17. §. Falsum est, & plures alii & est juxta regulam 81. de regulis juris in 5. ubi dicitur, in generali concessione non venire ea, quæ quis verosimiliter interrogatus non esset in specie concessurus. Tertiò probatur, quia in Bulla Cruciatæ, quoad privilegium edendi ova, & lacteicia excipiuntur Regulares, nisi sexagenarii fuerint. Supponit ergò Pontifex hos non habere aliud privilegium. Quartò denique, quia ipsemet Pontifex Leo X. qui Religiosis Ordinis Militaris Jacobæi Conventus de Vcles, & S. Marci Legionensis, præfatum privilegium concessit, declaravit, & decrevit communicationem privilegiorum non intelligi de concessis quibusdam domibus, vel personis particularibus Ordinis, ut habetur, & notatur in supplemento ordinis Minorum fol. 59. concess. 157. Nec obstat concessio Pii IV. de qua in dicto supplemento fol. 96. concess. 206. qui privilegia concessa illi, vel quibusdam Monasteriis Ordinis D. Hieronymi, ad omnia & singula ejusdem Ordinis tam virorum, quam mulierum extendit. Hinc enim magis conclusio nostra firmatur; cum opus fuerit speciali privilegio, nec gene-

generalis privilegiorum communicatio ad id præstandum sufficeret. Ergo aliorum Ordinum Regulares per clausulam generalem communicationis privilegiorum, in bullis Pontificum insertam, nullatenus poterunt ovis, & lacticiis uti in Quadragesima, prætextu præfati Leonis X. privilegii, Conventus de Veles, & Sancti Marci Legionensis olim concessi.

12. Ex quibus inferes, ejusmodi privilegium non solum non communicari Regularibus aliorum Ordinum Monachalium, vel Mendicantium, sed nec aliis Fratibus Clericis, vel Equitibus aliorum Ordinum Militarium, propter rationem superius traditam: imò nec Equitibus ejusdem Ordinis Jacobæi, nec Clericis extrâ Conventus de Veles, & Sancti Marci Legionensis commemorantibus, & domicilium habentibus. Quia præfatum privilegium est mixtum, partim locale, & partim personale, & religiosum, ad quodlibet ex præfatis tantum conventibus pertinentibus, seu qui eorum expensis aluntur, concessi. Atque adeo reliqui tam Equites, quam Clerici Ordinum Militarium eo uti neque bunt. Bullæ autem Cruciatæ privilegio absque ullo scrupulo uti poterunt. Quia sub ejus indulto ut in Bulla Latine dicitur) vescendi carnibus, & ovibus, & lacticiis, comprehenduntur omnes cujusvis Militiæ regulares. Clericos autem Fratres esse regulares Militarium, est certò certius. Ut bene docent M. Barnabas Gallego in explicat. Bullæ, dub. 58. & P. Mendo in Bullam, disp. 18. cap. 3. à n. 17. & tom. de Ordinib. Militar. disquis. 12. à num. 146. & in statuta opin. mor. differt. 14. q. 5. ubi efficaciter rejicit Magistrum Joannem Martinez de Prado contententem, sub hac voce, Regulares Militarium, non comprehendendi expresse Clericos Fratres Militares, sed solum Equites, & Commendatarios. Quod apertissime falsum est, quia illos esse strictissime regulares, sine controversia est apud Theologos: hos verò, cum possint matrimonium inire, (cum quo secundum D. Thomam 2.2. q. 186. art. 1. & 4. stare non potest propriè religio) propriè regulares non esse, plures docent. Ergo æquè ad minus certum est, Clericos Fratres Militares, ac Equites posse virtute Cruciatæ uti ovibus, & lacticiis in Quadragesima, & ita cum Gallego, & Mendo supra citatis, rueretur Diana p. 11. tract. 2. ref. 53. contra Bardi, & Antonium de Escobar.

13. Aliud privilegium vivæ vocis oraculo concessum à Paulo III. Minoribus de Observantia Sancti Francisci, adducit Manuel Rodriguez tom. 1. qq. Regul. quest. 21. art. 10. ad usum lacticiis in Quadragesima. * Modò Fratres Sacerdotes duas Missas celebrent, & Choristæ duos Psalmos Pœnitentiales, cum suis Litanis, & quando suspenduntur Bullæ, hæc omnia iterando. * Quam concessionem testatur se vidisse, & putat non esse revocatam. Verum in nulla religione est in usu, quod mihi argumentum efficax est, Regulares omnes (exceptis Militaribus) illam non admisisse, vel renunciasse. Aliàs hodie liceret tali privilegio uti, per ea quæ de revocatione oraculorum docent plures, quos refert Amadeus tract. de Ieiunio, prop. 7. num. 8. & 9.

14. Pro cronide adnotare oportet, privilegia hæcenus concessa ad ovorum, & lacticiis eum in Quadragesima, solum illa indulgere in prandio, non verò in collatione serotina, in qua, nec in jejuniis aliis extrâ Quadragesimam, ova, & lacticia, aut pisces licet sumere, sed illos tantum cibos, quos consuetudo legitime recepta, ex qua collatio seroti-

na ortum habuit, singulis locis permittit. Quare ter jure dixit Amadeus tract. de Ieiunio, prop. 2. à n. 1. sententiam contrariam esse contra communem Theologorum, & me judice, prorsus falsam: licet in collatione serotina, quantitatem, non qualitatem ciborum attendi debere, dixerint Cajetanus in dñm. de Ieiunio, M. Acacius de Velasco tom. 1. ref. 107. Ayuno, ref. 32. M. Nicolaus Mosicensis in Typico p. 2. pra. 2. n. 22. fol. 97. & alii, quorum verba idem excepta refert Amadeus ubi supra. Et in ceteris ciborum etiam eum extendunt Machado, Martius Vidal, & Pasqualigus, quos ibidem adducit & Ruyronymus de Llamas 3. p. Methodi, cap. 4. §. 24. quæ referens M. Sotum his verbis. * Pollent & nimis studentes, & capite debiles, (qui male non concipiunt dormiunt) aliquantulum in hoc longiores esse: Quibus Soto usque ad parvum ovorum eum concedit, neque nobis videtur in hoc largus, cum solum in jejunio cum illis omnibus servari possit, quæ presentia, neque saluti, neque majori bono repugnent. * Sed in hac parte largior, quam refert Llamas, & Mag. Sotus, quem sequitur Vincentius Barona opere contra Amadeum, disp. 1. §. ultimus, fol. 119. & quod mirabile dictum est, illum de strictiori jejunio voluntaria, idè eximè commendat. * Adeo, inquit, antiquæ disciplinæ tenax est noster Soto, ut ipsi doctoribus, qui ad studium, capitis dolore, & infirmitate, inepti sunt, (attende lector) permittat de via ovorum, nullo oleo, cibo, & vitæ pane adhibere. Sic Barona cum Soto: quorum opinio nec nullam, in hac materia, hæcenus inveni. Quæ enim ova, frustulo panis quamvis exiguo ad collationem non collationem serotinam non submitione qualitatibus, sed quantitatis etiam, illicitam reddere. Et miror Baroniam, ob collationem illam M. Sotum antiquæ disciplinæ tenacem appellare, cum ipsemet largissimam vocet illam, quam communis Doctorum hodie prostrahit ad ovis uncias contra prætium ullum, vel cum veniali (ut cum aliis, ait Diana p. 9. tract. 6. resolut. 15.) ad uncias decem communis cibi. Quam, inquit, nostri Thomistæ haberent quæ nuperum inventum sibi ignotum, & improbatum quasi quoddam helluationis, & potationis nimiam noxam jejuniis, à mollioribus Theologis excogitant genus. * Hic, studiose lector, tuum iudicium appolo: & ad examen bilancis Baronianæ te invito. Uncias, sententias, & verba pondera: & simul impioram ibidem fingentis Amadeum tradidisse collationem ex cibis quibuscumque, ad uncias decem pollicetur, quæ lethali prostrahi: cum tamen neque ipse, neque lus ex auctoribus, quos ibi refert, id afferunt.

Curiosa alia invenies sup. fol. 288.
num. 18. & 19.

**